

præbuit, vel ab aliis ex auctoritate legum permissis hoc requirere : sed tantummodo sacramentum præstare, quod revera omnem quantitatem sine dolo malo vel aliqua deminutione ad redemptionem dederit captivorum. — § 1. Simili etiam modo a gestoribus absolvimus ordinatione donationes rerum mobilium, vel sese moventium, quas viri gloriosissimi magistri militum fortissimis præstant militibus, tam ex sua substantia, quam ex spoliis hostium, sive in ipsa bellorum occupatione, sive in quibuscumque locis degere noscuntur. — § 2. Eandemque liberalitatem nostræ legis indulgemus etiam his quorum domus incendio vel ruina corrupta sunt : quibusdam forte pecunias cujuscunque quantitatis præbentibus, vel cautionem conficiendis, ut et ipsi nec repetitionem timeant, verumetiam exactorem pecuniarum confessioni inseratarum facere possint, licet gesta non fuerint subsecuta; nulla eis licentia danda pecunias ad alias causas nisi ad refectionem domorum erogare. Quod si aliqua dubitatio orta fuerit, utrum tota quantitas, an pars ejus in ædificiis expensa sit, hæc domini domus sacramento dirimetur. — § 3. Cæteris etiam donationibus quæ gestis intervenientibus minime sunt insinuate, sine aliqua distinctione usque ad quingentos⁷² solidos valituris : hoc etenim tantummodo ad augendas hujusmodi donationes addendum esse ex præsentis lege decernimus, anteriore tempore nostra lege præcedente moderando, qua⁷³ usque ad trecentos solidos factæ donationes, et sine insinuatione firmitatem obtinere jussæ sunt. — Dat. 15 kal. novembr. Constantinop., post consulatum LAMPADII et ORESTIS VV. CC. 531.

37. Idem, A. Joanni P. P.

Verba superflua⁷⁴ quæ in donationibus poni solebant, scil. *sestertii, nummi unius, assium quatuor*, penitus esse rejicienda censemus. Quid enim verbis opus est quæ rerum effectus nullus sequitur? Sancimus itaque nullo modo eorum verborum mentionem vel [in] imperialibus donationibus, vel in omnibus aliis de cætero fieri : sed et, si⁷⁵ quisquam per verborum aliquid talem inscripserit, sive remiserit, nulla differentia sit.

TIT. LV.

DE DONATIONIBUS QUÆ SUB MODO¹, VEL CONDITIONE² VEL CERTO TEMPORE³ CONFICIUNTUR.

1. Imp. VALERIAN. et GALLIEN. AA. Garmice.

Si doceas (ut affirmas) nepti tuæ ea lege esse donatum a te, ut certa tibi alimenta præberet⁴ : vindicationem etiam [in hoc] casu utilem eo, quod legi illa obtemperare noluerit, impetrare potes : id est, actionem qua dominium pristinum tibi restituatur. Nam [non solum] conditio quidem tibi in hoc casu, id est, in personam actio jure procedit, verum etiam vindicationem quoque divi principes in hoc casu dandum esse sanxerunt. — P. P. 11 kal. decembr. Tusco et Basso Cons. 259.

2. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Zenoni.

Si rerum tuarum proprietatem [dono] dedisti, ita ut⁵ post mortem ejus, qui accipit, ad te rediret, postulatio valet, ut cum etiam ad tempus certum, vel incertum ea fieri potest, lege scilicet, quæ ei imposita est, conservanda. — P. P. 5 id. Mart. MAXIMO 2 et AQUILINO Cons. 286.

3. Idem, AA. et CC. Marcellæ.

Quoties donatio ita conficitur, ut post tempus id, quod donatum est, alii restituatur : veteris juris auctoritate rescriptum est, si is in quem liberalitatis compendium conferebatur⁶, stipulatus non sit : placitum fide non impleta ei qui liberalitatis auctor fuit, vel heredibus ejus condictionis actionem persecutionem competere. Sed cum postea benigna juris interpretatione divi principes ei, qui stipulatus non sit, utilem actionem juxta donatoris voluntatem competere admiserint : actio quæ sorori tuæ, si in rebus humanis ageret, competeat, tibi accommodabitur. — P. P. 11 kal. octobr. ipsi 4 et 3 Cons. 290.

4. Idem, AA. et CC. Idæ.

Perfecta donatio conditiones postea⁷ non capit. Quare si pater tuus donatione facta quasdam post aliquantum temporis fecisse conditiones videatur, officere hoc nepotibus ejus fratris tui filiis minime posse non dubium est. — Dat. kal. octobr. TIBERIANO et DIONE Cons. 291.

5. Idem, AA. et CC. Dexippo.

Si quid mater filia suæ in potestate patris constituta sub hac condi-

72. 2. Inst. eod. ; vide tamen N. Leon. 50. — 73. L. 54, in pr. supr. h. t. — 74. Adde L. 65, in pr. D. de verb. oblig. — 75. L. 17, supr. de testam.
Tit. LV. — 1. L. 1, infr. h. t. — 2. L. 4, L. 5, infr. eod. — 3. L. 2, L. 5, L. 5, infr. eod. — 4. L. 5, L. 6, in fin. D. de donat. inter vir. — 5. L. 45, D. de mort. caus. donat. — 6. L. 37, § 2, in fin. D. de legat. 3. — 7. L. 9, L. 22, in fin. ; L. 25, supr. tit. prox. — 8. Fac. L. 3, supr. de inst. et subst. — 9. L. 1, infr. h. t. — 10. L. 2, infr. eod. ; L. 3, supr. de trans.

tionem, si fuerit intra biennium emancipata⁸, donaverit : licet hoc matris voluntate sui juris effecta non tenuit, tamen prius marito defuncto, sui juris quocumque modo effecta, ad similitudinem legati ita relicti, rem donatam firmiter habere, vel vindicare potest. — S. id. decembr. Nicomædie, CC. Cons.

TIT. LVI.

DE REVOCANDIS DONATIONIBUS.

1. Imp. PHILIPPUS A. Cosmino.

Etsi perfectis donationibus in possessionem inductus libertus, quanto libet tempore ea, quæ sibi donata sunt, pleno jure ut dominus possederit, tamen si ingratus sit, omnis donatio mutata patronorum voluntate revocanda est. Quod observabitur, et circa ea, quæ libertorum nomine, pecunia tamen patronorum et beneficio comparata sunt. Nam qui obsequiis suis liberalitatem patronorum provocaverunt, non sunt digni quo eam retineant, cum cæperint obsequia negligere : cum magis in eos collata liberalitas ad obsequium [eos] inclinare deberet, quam ad insolentiam exigere. Hoc tamen jus stabilis inter ipsos tantum⁹, qui liberalitatem dederint : cæterum, neque filii eorum, neque successores ad hoc beneficium pertinebunt. Neque enim fas est ullo modo inquietari donationes [quas] is, qui donaverit, in diem vite suæ non retractavit. — Dat. 15 kal. Jul. ÆMILIANO et AQUILINO Cons. 250.

2. Imp. PROBUS A. Felicio.

Si apud provinciæ præsidem aviam filia tuæ quasi penitentia² ductam subtracta instrumenta donationum igne exussisse constiterit, vereri te non oportet, ne id quo jure vires acceperat, ex post facto possit in dubium revocari. — P. P. 3 non. Maji Sirmii, PROBO A. et PAULINO Cons. 279.

3. Imp. CARINUS et NUMERIANUS AA. Januario et Felicio.

Possessionem, quam in vos emancipatos per donationem mater contulit, ex penitentia sola alienare non potuit. — P. P. 2 id. Januar. CARINO 2 et NUMERIANO Cons. 284.

4. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Proculæ.

Cum profitearis in fraudem te alterius donasse, professionem inhonestam continere intelligis. Itaque si donationem perfecisti, eam revocare³ non potes ex memorata allegatione, sub obtentu penitentia. — P. P. kal. april. Heracleæ, AA. Cons.

5. Idem, AA. et CC. Epagatho.

Si donationem rite fecisti, hæc auctoritate⁴ rescripti nostri rescindi non oportet. — S. 5 kal. Maji Heracleæ, AA. Cons.

6. Idem, AA. et CC. Hierennia.

Velles necne filio tuo prædia itemque mancipia donare, fuit in initio tibi liberum⁵. Desine itaque postulare, ut donatio, quam perfeceras, revocetur prætextu⁶ mariti et liberorum absentia : cum hujus firmitas ipsorum præsentia non indigeat. — S. 5 kal. octobr. Viminacii, CC. Cons.

7. Imp. CONSTANTINUS et CONSTANTIUS AA. ad Philippum.

His solis matribus, quæ non in secundi matrimonii fœdus nuperint, sed unius tantum matrimonii sunt, revocandarum donationum, quas in filios fecerint, ita decernimus facultatem, si eos ingratos circa se esse ostenderit. Quicquid igitur is, qui a matre impietatis arguitur, ex titulo donationis tenet, eo die, quo controversia quæcunque principum jussu judicantis datur, matri cogatur reddere. Cæterum ea, quæ adhuc matre pacifica jure perfecta sunt, et ante inchoatum ceptumque jurgium vendita, donata, permutata, in dotem data, cæterisque causis legitime alienata : minime revocamus. Actionem vero matris ita personale esse volumus, ut vindicationis⁷ tantum habeat effectum : nec⁸ in heredem detur, nec tribuatur heredi. De cæteris autem, quæ portentosa vilitatis abjectæque pudicitia sunt, satis etiam tacite cautum putamus. Quis enim, qui his aliquid arbitretur tribuendum esse : cum etiam illis, quæ jure secundas tantum contraxerunt nuptias, nihil ex his privilegiis tributum esse velimus? — Dat. 12 kal. octobr. LIMENIO et CATULINO Cons. 319.

set. — 3. L. 2, L. 5, supr. h. t. ; L. 5, D. de usucap. pro donato ; § 2, Inst. de donat. fac. L. 30, supr. de transact. — 4. L. 12, supr. de rei vindic. ; L. 3, supr. de rescind. vend. ; L. 9, supr. de donat. ante nupt. ; L. 4, supr. de emanc. p. — 5. L. 5, supr. de chig. ; L. 55, in fin. supr. de donationibus. — 6. L. 27, in fin. supr. d. t. de donat. ; L. 17, D. de condict. furtiv. ; L. 4, supr. de postul. — 7. Fac. L. 10, § 2, D. si quis cautionib. ; L. 2, § 4, D. de collation. — 8. L. ult. in fin. infr. h. t. ; immo vide L. 5, supr. de condict. ob caus.

In AUTHENT. de nupt., § Mater tamen, col. 4, tit. 1, Novell. 22, cap. 55. Quod mater filio donat, ex ingratitude non revocatur, postquam transit ad secundas nuptias, nisi ex tribus causis. Prima, si vitæ ejus insidiatur. Item, si manus impias in eam intulerit. Tertia, si totius substantiæ molitus est jacturam.

8. Idem, AA. ad Orphitum P. P.

Si unquam libertis⁹ patronus¹⁰ filios non¹¹ habens bona omnia vel partem aliquam facultatum fuerit donatione largitus, et postea suscepit¹² libertos, totum quicquid largitus fuerat, revertitur in ejusdem donatoris arbitrio ac ditione mansurum. — Dat. 5 kal. april. ARBITRORÆ et LOLLIANO Cons. 355.

9. Imp. THEODOS. et VALENT. AA. ad Senatam post alia.

Donationes circa filium filiamve, nepotem neptemve, vel pronepotem proneptemve emancipatos celebratas pater, vel avus, vel proavus revocare non poterit, nisi edoctis manifestissimis¹³ causis, quibus eam personam, in quam collata donatio est, contra ipsam venire pietatem, et ex causis, quæ legibus continentur, fuisse constabit ingratam. — Dat. 5 id. nov. Ravennæ, THEODOSIO 15 et VALENTINIANO 3 AA. Cons. 430.

10. Imp. JUSTINIANUS A. Juliano P. P.

Generaliter sancimus, omnes donationes lege confectas, firmas illibatasque manere, si¹⁴ non donacionis acceptor ingratus¹⁵ circa donatorem inveniatur, ita ut injurias atrocis in eum effundat, vel manus impias inferat, vel jacturæ molem ex insidiis suis ingerat, quæ non levem sensum substantiæ donatoris imponat, vel vitæ periculum aliquod ei intulerit, vel quasdam conventiones, sive in scriptis donationi impositas, sive sine scriptis habitas, quas donacionis acceptor spondidit, minime implere voluerit. Ex his enim tantummodo causis, si fuerint in iudicium dilucidis¹⁶ argumentis cognitionaliter approbatæ, etiam donationes in eos factas everti concedimus : ne sit cuicumque licentia, et alienas res capere, et frugalitatem irridere donatoris, et ipsum iterum donatorem suasque res perdere : et præfatis malis ab ingrato donacionis acceptore affici.

Hoc tamen usque ad primas personas tantummodo stare censemus, nulla licentia concedenda donatoris successoribus¹⁷ hujusmodi querimoniarum primordium instituire. Etenim si ipse, qui hoc passus est, tacuerit, silentium ejus maneat semper : et non a posteritate ejus suscitari concedatur, vel adversus eum, qui ingratus esse dicitur, vel adversus ejus successores. — Dat. 15 kal. april. LAMPADIO et ORESTE VV. CC. Cons. 530.

TIT. LVII.

DE DONATIONIBUS CAUSA MORTIS¹.

1. Imp. ALEXANDER A. Daphnæ.

Si donatione contineatur, Ut altero defuncto, ad alterum portio eorum, quæ donabantur, pertineret : existente conditione, si mortis causa donatio perficiatur, fideicommissi actio competit. — P. P. 4 kal. octobr. MAXIMO 2 et ÆLIANO Cons. 224.

2. Imp. GORDIANUS A. Zoilo.

Intestata mortua quondam nura tua, neptis tua, quæ ex ea filioque tuo quaesita est, quandoque potest ad ejus venire successorem : nec tamen ea post mortem filii tui, ex quo quaesierat filiam, alii nupti se collocando dotem dans prohibeatur quam velit conditionem eidem doti dicere. Sed si mortis causa donationem in fratrem suum conferens, in causam mortis suæ eam [dotem] eundem fratrem suum stipulari passa est, cum divi Severi constitutione etiam in mortis causa donationibus, si de cætero patrimonio quantum Falcidia² jubet, heres non habet, provisum sit, is : qui nura tua heres extiterit, ejus constitutionis beneficium non prohibetur postulare. — P. P. 10 kalend. febr. GORDIANO A. et AVIOLA Cons. 240.

3. Imp. DIOCLETIANUS et MAXIMIANUS AA. et CC. Heredi.

Nec fratris³ sui mortis causa recte factam donationem sorori rescindere licet. — S. 5 kal. Januar. Sirmii, AA. Cons.

4. Imp. JUSTINIANUS A. Juliano P. P.

Cum de mortis causa donationem dabitur, et alii quidem inter ulli-

9. L. 2, L. 5, supr. de inoff. donat. — 10. L. 6, § 1, supr. de inoff. donat. ; L. 102, D. de cond. et demonstr. — 11. L. 2, in fin. ; L. 5, supr. de inoff. donat. ; L. 87, § 2, D. de legat. 2 ; N. 92. — 12. N. 89, c. 3. — 13. L. ult. vers. ex his, infr. h. t. — 14. § 2, vers. sciendum, Inst. de donat. — 15. Vide tamen L. 54, § 1, in verbo irreversibilibus, D. d. L. 16, L. 9, in fin. supr. h. t. — 17. L. 1, L. 7, supr. eod.
Tit. LVII. — 1. Lib. 59, D. 6, et § 1, Inst. de donationib. ; N. 87. — 2. Adde L. 6, L. pen. supr. ; L. 66, in fin. ; L. 95, D. ad leg. Falcid. ; L. 11, § 2, D. quod legator. — 3. L. 29, supr. de donationib. — 4. L. 15, L. 57, D. h. t. ; § 1, vers. hæc mortis, Inst. de donat. ; L. 2, D. de Pu-

mas voluntates eam posuerunt, et legatis⁴ aggregandam esse censuerunt, alii autem inter donationes, quæ inter vivos consistunt, eam posuerunt : dubietate eorum explosa, sancimus omnes mortis causa donationes, sive juxta mortem facientis fuerint celebratae, sive longiore cogitatione mortis subsecutæ sunt, actis minime⁵ indigere : neque expectare publicarum personarum præsentiam, et ea, quæ super hujusmodi monumentis solent adhiberi : sed ita res procedat, ut si quinque testibus præsentibus vel in scriptis, vel sine literarum suppositione aliqui voluerit mortis causa donationem facere : et sine monumentorum accessione res gesta maneat firmitate vallata, et nullam in ea calumniam accipiat : neque propter hoc quod gesta non accesserunt, inefficax esse atque inutilis videatur : et omnes effectus sortiatur, quos ultimæ habent liberalitates : neque ex quacunque parte absimilis [eis] intelligatur. — Dat. kal. sept. Constantinop., LAMPADIO et ORESTE VV. CC. Cons. 530.

TIT. LVIII.

DE INFIRMANDIS POENIS COELIBATUS¹, ORBITATIS² ET [DE] DECIMARIIS³ SUBLATIS.

1. Imp. CONSTANTINUS, CONSTANTIUS et CONSTANS AAA. ad populum.

Qui jure veteri *coelibes* habebantur, imminetibus legum terroribus liberentur : atque ita vivant, ac si numero maritorum matrimonii fœdere fulcirentur. Sitque omnibus æqua conditio capessendi quod quisque mereatur. Nec vero quisquam *orbis* habeatur, et proposita huic nomini damna non noceant. Quam rem et circa feminas existimamus, earumque cervicibus imposita juris imperia, velut quadam juga, solvimus promissive omnibus. — Dat. kal. april. Romæ, CONSTANTIO 2 et CONSTANTIA AA. Cons. 239.

2. Imp. HONOR. et THEOD. AA. Isidoro P. U.

Inter virum et uxorem rationem cessare ex lege Papia *decimarum*⁴ : et quamvis⁵ non interveniant liberi, ex suis quoque eos solidum capere testamentis (nisi forte lex alia imminerit derelicta) decernimus. Tantum igitur posthac maritus vel uxor sibi invicem derelinquant, quantum superstitis amor exegerit. — Dat. P. P. non. sept. VARANA Cons. 410.

TIT. LIX.

DE JURE LIBERORUM¹.

1. Imp. HONOR. et THEOD. AA. Isidoro P. U.

Nemo posthac a nobis jus liberorum petat : quod simul hac lege omnibus concedimus. — Dat. P. P. non. septemb. VARANA Cons. 410.

2. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

Illam injuriam, quæ contra matrem defuncti, vel defunctæ præteritis fiebat temporibus, pro justitiæ ratione amputavimus, et legitima jura, quæ ex Tertulliano senatusconsulto² ei præstantur, omnimodo eam habere sancimus : licet tres³ liberos ingenua, vel libertina quatuor minime pepererit. — Dat. kal. Jun. CONSTANT. ipso A. 2 Cons. 328.

LIBER NONUS.

TIT. I.

DE HIS, QUI ACCUSARE NON POSSUNT.

1. Imp. SEVENTUS et ANTONINUS AA. Sylvano.

Prius est, ut criminibus, quæ tibi ut graviora¹ ab adversario tuo ob-

bligantur, L. 87, D. de legat. 3 ; N. 87, in pr. — 5. L. 25, in fin. supr. de donat. ; d. N. 87, in pr.
Tit. LVIII. — 1. L. 1, in princ. infr. h. t. — 2. L. 1, vers. nec vero quisquam orb. infr. eod. — 3. L. 2, infr. eod. ; L. 18, D. de auro. — 4. L. 15, § 1, D. de auro ; *excip. l. 6, D. de vulg. et pupill. subst.* ; L. 43 et 44, D. de legat. 2 ; L. 28, D. de legat. 3 ; *adde l. 25, D. de cond. et demonstr.* — 5. *Adde tit. prox. infr.*
Tit. LIX. — 1. Lib. 2, infr. h. t. — 2. N. 78, c. 5. — 3. § 4, Inst. de SC. Tertyl.
Tit. I. — 1. L. 19, infr. h. t. ; L. 5, D. de public. judic.